

1605

feralem hunc atque acerbitatis plenum nuntium attulerit: opportune, perlectis literis, Senatum responsurum. Nocte in sequente Marinus Grimanus, Princeps, cum per decem ferme annos principatum gessisset, excessit: felicitatis, quo illud inierat, nunquam interrupto cursu celebris, religione vero & charitate in patriam, quam reliquæ Principe dignæ comitabantur virtutes, insignis. Ne Pontificis literæ ante novi Ducis creationem resignarentur de Praëconsultorum sententia decretum. Grimanii obitum Regum ac Principum oratores cum sexviris, qui a Principis excessu usque ad successoris creationem in palatio degunt, dolent; unus Matthæus Nuntius ab eo Ducis optimi memoriæ persolvendo munere abstinuit. Post exequias, perplexa illa comitiorum ratione, majorum solertia excogitata, de novo eligendo Principe agi coepit. Matthæjo Pontifex præcipit, ut uno ac quadraginta Senatoribus, qui ex veteri instituto Principis electioni incumbebant, dentuciet: *Quod nexu excommunicationis adstringantur, non posse in demortui locum sufficere.* Idque acturus erat Matthæus, si Collegium, quod a Ducis obitu oratores admittere legibus prohibetur, adire licuisset. Interim re maturius perspecta, quæ ex pravo consilio incommoda suboriri possent, animadversis, ut insuetæ denunciatione abstineret, Nuncio rescriptum est.

M. DC. VI.

Leonardus Donatus, Eques ac Marcius Procurator, Senatus universoque patricio ordine plaudente, totaque acclamante civitate, quarto idus januarii Marino Grimanu suffectus est; principatusque insignibus inauguratus supremum magistratum iniit. Dum vero suggestum pegmate, quod *navigulam* vocant, navalium virorum humeris per forum de more gestaretur, superstitiosi homines in futurarum dissensionum omen traxere, pueros niveis primum globis (nam per eos dies affatim nix cælo defluxerat) deinde saxis certantes; in palatii portæ ingressu hastile, quo vexillum Reipublicæ sustentabatur, perfractum; passim plebis voces bellum inclamantes. Nec deerant, qui vaticinos versus evulgarent, quibus Italiæ ingentes eo anno portendi calamitates prænun-

1606
Leonardus
Donatus
ad princi-
patum ere-
ctus.

Marin
Grimani
Principis
obitus.